TENTAMEN MEDICUM

An Eryſipelati topica.

QUOD Deo duce & auſpice Dei-parâ in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi tueri conabitur.

AUCTOR

GUILLELMUS-HILLARIUS TARDIEU, ex urbe Port Ste. Marie apud Aginenſes, Liberalium Artium Magiſter, nec-non Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis, almæque Univerſitatis Medicinæ Monſpelienſis jam-dudum alumnus.

Pro Baccalaureatus Gradu conſequendo.



MONSPELII,

Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL, Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XC.

AU MEILLEUR DES PÈRES

ET A LA PLUS TENDRE DES MÈRES,

Vous avez élevé mon enfance, depuis le jour qui me vit naître, vous n'avez cessé de me faire ressentir l'influence de vos bienfaits ; aussi mon cœur est-il pénétré d'une reconnoissance immortelle. Daignez, je vous prie, recevoir ce premier essai comme un foible hommage que j'offre à l'amitié, à la tendresse, dont vous m'avez donné de si grandes preuves, & au respect avec lequel j'ai l'honneur d'être,

Votre Fils très-obéissant
& très-soumis,
TARDIEU.



TENTAMEN MEDICUM

An eryſipelati topica.

ERYSIPELAS eſt morbus inflammatorius febre, calore & dolore pungitivo ſtipatus. Tumor eryſipelatoſus diffuſus eſt non circumſcriptus : cutis tenera ac lucida. Tangente digito, ceſſit rubor, & remotò digito priſtinam pars recuperat formam, priſtinumque ruborem. Pulſus in invaſione celer atque durus, in decurſu preſſus, & in fine mollis ac expeditus. Intra quatuor dierum ſpatium, ſuum exercet curſum morbus; dein valdè imminuit & ſquammatìm decidit.

Sed eryſipelatum decurſus exituſque non ſemper erunt æque felices; ſæpè contrà præ ſe feruut graviſſimas calamitates. Tuncque æger frigore & tremore corripitur, quibus ſuccedit calor urens & intolerabilis, cephalalgia, præcordiorum anxietates, torpores, ſoporeſque continui. Attamen dum tumor ad finem vergit, æger quietus fit, atque ſenſim mala evaneſcunt ſymptomata.

Etiamſi eryſipelas in omnibus corporis partibus ſeſe præbere poſſit, attamen partes ſuperiores ante alias obſidet, videlicet faciem, nares, collum, brachia, &c. Tnm adeſt in illis partibus calor urens & dolor pungitivus Quando afficitur caput, ſub naſcitur cephalalgia; occluduntur oculi, palpebræ tumeſcunt, liveſcunt, & etiam pus aliquando exprimunt. Nullæ dantur ægro dolorum induciæ, tumefacta ſunt labra & ſæpè puſtulis onuſta; ſitis magna, os fætidum exhalet odorem; tumor ſenſim frontem, aures, collum occupat : in illo caſu morbus in longum protrahitur, gravior fit febris, afficitur cerebrum, delirium adeſt, & jam vitæ metam tangit æger, niſi opportunè ſuccuratur. Sic vidi in noſocomio Charitatis Pariſienſis, hominem ferè ſtrangulatum à tumore eryſipelatoſo in collo enato, & ſymptomatibus jam enunciatis ſtipato. In hoc inſtanti caſu diaphoretici valdè profuerunt. Non rarò videre eſt cutim puſtulis interſtinctam quæ ſeroſitate turgent, ut facilè obſervari poteſt in puſtulis uſtione productis. Quando vehemens eſt morbus, per plures dies, octo circiter, decem vel duodecim in eodem ſtatu protrahi poteſt. Interim cutis admodùm arida remanet, & etiam exſiccatæ ſunt fauces : denique terminatur morbus copioſo ſudore, frigoris horroribus, ſpaſmis, anxietatibus plerumque præceſſo. Quando ad ſuppurationem vergit ille morbus, (quod tamen rarò evenit) ſemper peſſima eſt illa ſuppuratio, teſtante celeberrimus *Tiſſot* (1), quia facilè in fædiſſimis ulceribus mutari poteſt.

Eryſipelas ob ſuam materiei mobilitatem, metaſtaſes experiri poteſt, dum ab exterioribus ud interiora fiunt, ferè mala ſunt. Aliquandò hic morbus diverſas partes cum incredibili celeritate perluſtrat, ſed illæ mutationes ut malum omen videri non debent, modo ut ad exterius ſemper exequantur.

Eryſipelas dividi ſolet in idiopathicum & in ſympathicum. Sympathicum vero aliis morbis antiquis ſuccedit.

Cauſæ hujus morbi vel externæ vel internæ ſunt. Externæ dicuntur illæ omnes quæ in cute violentam irritationem producere poſſunt. Aër nimis frigidus aut aër nimis calidus quamdam corporis partem vehementer percutiens eryſipelas producere poteſt, ſicut etiam inſectorum morſus, ſubſtantiarum irritantium contactus, &c.

---

(1) *Tiſſot.* Voyez Avis au Peuple, ch. XIX. p. 303.

Causæ internæ vel à vitio perspirationis, vel ab humorum depravatione enasci possunt. Si pueros hic morbus præcipuè obsidet, id evenit ex eo quod illorum cutis magis transpirationis effectus experitur. Si seniores potiùs quam juvenes ferit erysipelas, id pendet ex eo quod in senibus cutis est nimis rigida, & non sunt satis permeabiles porulorum aperturæ. Vita intemperans, liquorum ardentium, spirituosorum, ciborum sale nimis & aromatibus conditorum abusus, semper ad affectum illum disponunt. Ferè omnes auctores recentiores agnoscunt, materies biliosas præbere ansam erysipelati, & hæc opinio tanto magis mihi innixa videtur, quod indicationes curativæ quas offert, semper sunt utiles.

Erysipelate descripto, symptomatibus, divisionibus & causis hujus morbi jam enunciatis, facilè agnoscuntur genium, indoles & natura. His positis, ad præcipuum scopum nostrum festinanter progrediamur.

Topica, apud Medicos & Chirurgos dicuntur variæ substantiæ quæ ad cutim immediatè applicatæ, varios producunt effectus. Ex illâ generali definitione clarè patet immensam esse topicorum classem, & hac ratione in illis enumerandis non immorabor, sed tantum pauca dicam de illorum effectibus.

Substantiæ quæ vulgò sub topicorum nomine designantur, varios & peculiares effectus exerunt pro earum varietate peculiari indole, energiâque. Hæc est saltem ratio, juxtà quam Medici illis utuntur in curatione morborum. Ubi itaquè stimulari unam partem necesse arbitrantur, acres substantias ipsi applicant, & inter illas eam seligunt quæ majori minorive acredine donatur, prout plus vel minus partem stimulare volunt. Ubi maturandus, ut aïunt, tumor & in pus colliquandus applicantur substantiæ quæ observatio huic naturæ operi favere comperuit. Si tam gravis sit dolor ut eum mitigare utile credat Medicus, tum parti admoveri jubet cataplasmata anodyna, sedantia, &c. Ubi pars una languescit & vi ac tono egere videtur administrantur interiùs tonica, & pars debilis spirituosis vel aromaticis liquoribus, vel etiam aliis substantiis quæ tonum restituere possunt, circumdatur. Innumerabilia, ut diximus, assignari possent topica, quibus variæ virtutes attribui debere videntur propter varios effectus quos producunt. Sic millena dantur emplâstra, unguenta, oleosa, pinguedinosa, balsama, combinationes, mixtionesque variæ, lessivæ, &c.

Certè licitum foret Medico virtutes & qualitates topicorum collaudare, si ipse effectus & modum agendi cuique substantiæ proprios, posset demons-

trare. Sed natura opera sua tanta nube circumvolvit, ut nihil certum in hac re sicut in plerisque aliis habeamus. Non parvi saltem foret, si constantes semper eosdemque effectus in circumstantiis analogis eædem substantiæ producerent. At verò dubium non semel relinquere debet, qui topicorum applicationes producere volet. Nonnumquam enim accidit, ut non solùm solitum effectum non exhibent topica, sed aliquando ferè omninò contrarium; & cùm dicitur topica emollientia resolventia indicari, intelligi debet tales effectus producere substantias quasdam & in diverso gradu, non in omnibus sanè casibus, sed in majori circumstantiarum numero in quibus fuerant applicatæ. Sic quandoque veneram testiculi intumescentiam aquæ vegeto mineralis topica applicatione fugatam videre contigit, dum topicum idem in aliâ occasione sub iisdem circumstantiis adhibitum, ita induravit tumorem, ut schirrosus ab hînc unâ cum spermatico fune remanserit testiculus. Ex hâc & aliis observationibus, mihi licebit asserere, debiles admodum & accessorias opes semper à topicorum applicatione spectari debere; nec probè artem medicam exerceret ille, qui in istis nimium confidens auxilia propriora ad debellandos morbos negligeret. Ergò dubia est topicorum virtus.

Licet verò non cognoscimus modum agendi topicorum, nec oculi nostri naturæ arcana detegere possint, attamen topicorum effectus externos possumus considerare, & ex illis utilitatem percipere ad stabiliendam opinionem nostram. Substantia in genere ad cutim applicata in se ipsâ producere debet effectum ad instar massæ, densitatis éjusque consistentiæ. Si illa substantia solida sit atque ponderosa, partem opprimet, vasorum tonum destruet, excretiones turbabit. Laminæ cujuscumque metalli ad cutim applicatæ eumdem producunt effectum. Si illa substantia minus solida, minus ponderosa, sed indolis fluidæ super partem imponitur, oppressio & desorganitio minores erunt, transpirationis etiam excretio difficilior erit, si hæc ultima substantia ad foramina porulorum exhalantium applicatur unguenta, emplastra, hunc producunt effectum & interpiunt excretiones partium ad quas applicantur substantiæ oleosæ, pinguedinosæ, & aliæ quæ cum aquâ nullam habent affinitatem. Hujus effectus necessitatem demonstrat ratio; & ratione validior confirmat observatio.

Ex dictis, sequitur actionem mechanicam & constantem topicorum debere necessariò produci; sed hujus actionis effectus subsequentes erunt circulatio-

nis impeditio, vaſorum ingurgitatio, excretionum retentio, retropulſio, &c. Ex his generalibus de topicis conſiderationibus, & ex illorum effectuum peculiari examine, concludere mihi licebit topicorum vim actionis, ſive mechanicè, ſive occultè, ſive ſpecificè agant, ab exterioribus ad interiora determinari.

Ex ſupra dictis in deſcriptione morbi clarè apparet, eryſipelas generari ab humore improbo ſive acris, ſive nocivæ cujuſcumque indolis, aquo natura ſe liberare conatur, illum humorem pellendo à centro ad peripheriam corporis, & per porulorum aperturas hujus excretioni favendo. Itaque ſagax clinicus varia auxilia, diverſis circumſtantiis idonea naturæ ſuppeditabit, ut felices effectus obtineat. E certò ſciet nullum exiſtere topicum tanta virtute donatum, ut ab interioribus corporis ad exteriora humorem illum expellere poſſit; quin è contra applicatio harum-ce ſubſtantiarum retropulſionem illius humoris producere poterit ab exteriore ad interius, quæ retropulſio ſæpiſſimè lethalis fiet à Medici imprudentiâ. Qui certè illas rariſſimè tentabit applicationes, niſi apprimé harum uſus indicetur.

Etiamſi meo ſenſu, in curatione eryſipelatis ferè numquam applicanda ſint topica, attamen libenter fateor, circumſtantias quaſdam exiſtere in quibus applicatio topicorum valere poteſt. At verò illæ circumſtantiæ nobis raro offeruntur, & aliundè illæ applicationes non adhiberi ſolent, niſi in accidentibus qui morbum male curatum ſequntur. Tum ſuppuratio quæ apparet, frequenter periculoſa fit, & in fædiſſimis ulceribus degenerare poteſt. Neceſſum eſt igitur, ejus nocivam indolem mutare utendo remediis convenientioribus, qualia ſunt v. g. ſuppurantia cum aliis medicaminibus qui putredinem impedire poſſunt, ſejuncta. Altera circumſtantia in quâ utilis fieri poteſt applicatio illa, eſt, quando humor ille retropulſus ad organum quoddam vitale defertur, v. g. ad pulmones. Tum veſicantia & cauteria præcipuè primum obtinent locum, & remediorum internorum effectus adaugere poſſunt. Tertia demùm circumſtantia & ſine dubio ultima eſt, dum eryſipelas diffuſior atque profundior ſit, & ad gangrænam tendit, quod à colore lividâ atque atrâ cognoſcitur; tunc præter medicamenta interna inflammationis progreſſus impedientia, fomentationes ſubſtantiarum ſpirituoſarum, applicationes roborantes ad illum ſcopum conducunt; quales ſunt fomentationes ex kinâ, aqua calcis, aqua vitæ camphorata, aqua vegeto mineralis, &c. Hæ ſunt tres circumſtantiæ

in quibus tantummodò valere poſſunt applicationes topicæ, ſed hic notabo illas circumſtantias eſſe ſolùm accidentia morbi malè curati ſubſequentia, hinc evidenter patet, exceptiones harum-ce trium circumſtantiarum non poſſe meam opinionem evertere, nec impedire, quo minus contra topicorum uſum iſtam concluſionem afferam, quod in curatione eryſipelatis non valeant topica. *Ergo non eryſipelati topica.*



ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES REGII

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *in ſacro Conſiſtorio Conſiliarius, Univerſitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. FRANCISCUS VIGAROUS.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D.